

fundenda est vita temporalis pro vita ejus æterna: idem dicendum videtur de peccatore ebrio, qui pariter in extrema necessitate est; sed sæpius saltem bona fides excusabit.

De procuratione abortus.

Revocandum est in mentem quod in Tractatu de *Baptismo* diximus circa tempus quo fetus cœpit animari; probabile est eum anima donari statim ac incipit esse fetus humanus, ac proinde longe ante tempus ab *Aristotele* et antiquis assignatum, videlicet quadraginta dies pro maribus et octoginta pro feminis.

Jus tamen canonicum, de animatione vel inanimatione fetuum loquens, hanc veterum sententiam supponit, veritatem ejus fundamenti non requirens; et admitti debet ubi de pœnis ecclesiasticis agitur; odia enim sunt restringenda et non augenda. *His notatis,*

1° Quicumque abortum procurare tentat in se vel in altera persona, graviter peccat, sive fetus sit animatus, sive non: in priori casu, verum est homicidium; in posteriori, est actio ad occisionem hominis tendens et contra naturam. *Ita omnes.* Unde in Codice pœnali nostro statuitur, art. 317: « Quiconque, par aliments, breuvages, médicaux, violence ou par tout autre moyen, aura procuré l'avortement d'une femme enceinte, soit qu'elle y ait consenti ou non, sera puni de la réclusion. La même peine sera prononcée contre la femme qui se sera procuré l'avortement à elle-même... Les médecins, chirurgiens et autres officiers de santé, ainsi que les pharmaciens qui auront indiqué et administré ces moyens, seront condamnés à la peine des travaux forcés à temps dans le cas où l'avortement aurait eu lieu. »

In nostra diœcesi, quælibet abortus voluntaria tentatio, sive fetus sit animatus, sive non, sive effectus sequatur, sive non, est casus reservatus. *Enchirid.*, p. 8, n. 5.

Hinc Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, n. 24, anno 1679: « Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehensa gravida occidatur vel infametur. »

2° Plures graves theologi, ut *Sanchez*, *Layman* et *Sylvius*, arbitrati sunt matrem in extrema necessitate constitutam, uti posse pharmaco ad expellendum directe fetum inanimatum sibi nocivum, quia est pars viscerum et pars pro conservatione totius resecuri potest; aliunde talis fetus considerari potest ut actualis vitæ matris aggressor licet involuntarius: porro aggressorem etiam involuntarium occidere licet ad servandam propriam vitam. Alii vero longe communius negant hoc esse licitum, quia est actio ex se occisiva, nativitatem hominis impediens et essentialiter mala; rationes adversariorum oppugnant, dicentes 1° fetum ad integritatem corporis matris non pertinere, sed inchoativum esse individuum; 2° non esse actualem vitæ aggressorem, ac proinde expelli non posse; 3° omnes fatentur fetum animatum directe occidi non posse ad salvandam matrem; at semper incertum est an fetus jam conceptus nondum sit animatus: ergo.

Hinc obstetrices et medici videntes mulierem gravidam naturaliter parere non posse, fetum in utero ejus discernere non possunt, nisi constet eum esse mortuum, et mulier tali barbaræ discerptioni consentire non potest; sed expectandus est eventus, et, muliere mortua, venter ejus erit aperiendus ut infans baptizetur et salvetur, si fieri potest.

3° Si constaret fetum non esse animatum, licitum esset, ex communi sententia, dare mulieri et ei sumere remedium ex se matris curativum, nec ad abortum tendens, quamvis sit periculum ne inde sequatur; quia tunc si sequatur, non censetur procuratus, sed tantum permissus: at si fetus sit animatus, aut dubitetur an sit animatus, non licet adhibere hujusmodi remedium cum periculo mortis fetus, quia mater æternam proli suæ salutem propriæ vitæ temporali præferre debet. *Est sententia communis.* Verum si æquale sit periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est, quia sine majori periculo fetus vitæ matris consulitur.

4° Nunc nova cœpit invadere praxis: si medici et chirurgi prævideant fetum ad maturitatem perventum

naturaliter egressurum non fore, ob malam feminae conformationem aliamve causam, partum, ope quarundam preparationum, anticipant: affirmatur infantem sic premature eductum non tam periclitari quam in partu valde laborioso aut moraliter impossibili. Hoc posito, talis operatio certe non est damnanda, cum saluti infantis et matris simul provideat.

5° Sixtus V, per bullam *Effrenatam*, diei 29 oct. 1588, statuerat 1° clericos abortum quovis modo procurantes vel ad illum concurrentes fieri irregulares, et laicos ad suscipiendos Ordines inhabiles; 2° in foro ecclesiastico degradandos et curiae saeculari tradendos ut ultimo afficerentur supplicio; 3° easdem poenas exercendas esse contra eos qui potiones sterilitatis propinarent, et mulieres ipsas quae eas scienter sumerent; 4° omnes in eo reatu deprehensos, ipso facto excommunicatos iudicandos esse; 5° hanc censuram pontifici Romano esse reservatam, et per quamcumque indulgentiam aut per Jubilaeum solvi non posse, sine speciali dispensatione.

Gregorius XIV, per constitutionem *Sedes Apostolica*, diei 31 maii 1591, bullam praedecessoris sui in quibusdam punctis reformavit: 1° permisit ut ordinarii locorum a dicta excommunicatione absolvere possent per se vel per alium presbyterum a se deputandum; 2° poenas a Sixto V latas ad poenas iure communi statutas restrinxit, videlicet ad excommunicationem, irregularitatem, si fetus sit animatus; privationem beneficii, si crimen sit iudice probatum, et ad inhabilitatem titulos ecclesiasticos acquirendi.

Episcopi dispensare non possunt in ea irregularitate, quia provenit ex homicidio, et ex dispositione concilii Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform., dispensare non possunt super irregularitate ex homicidio etiam occulto proveniente.

ARTICULUS QUINTUS.

DE DUELLO.

Duellum, apud Graecos monomachia, est certamen inter duos vel etiam inter plures in pari numero, ex conducto

initum, et periculosum. Est sententia communis. Unde propositio et acceptatio certaminis, effectu non sequente, pugnae exercendi corporis vel agilitatis aut fortitudinis ostendendae causa factae, ut olim *les tournois*, rixae in quibus unus contra plures, vel plures contra unum, aggressio et defensio subita ex contentione aliave causa nata et improvisa, etc., ad duellum proprie dictum, prout ab omnibus intelligitur, non referuntur.

Duellum suscipi potest publica vel privata auctoritate.

1° Duellum publica auctoritate susceptum aliquando licitum esse potest; semper enim laudatus fuit David eo quod singulariter pugnaverit cum Goliath: porro similes occurrere possunt causae eis quae illum ad dimicandum inclinaverunt; v. g., princeps, de justitia causae suae certus, sed copiis longe inferior, duellum proponere, acceptare vel ab aliquo e suis acceptandum, jubere potest, ut evidentem populi ruinam in dubiam spem victoriae mutet; item si, ex recusatione duelli oblato, futurum sit ut hostes fiant audaciores, et proprii milites dejectiores.

His autem casibus vel aliis similibus exceptis, princeps mortaliter peccaret permittendo duellum, v. g., ad ostentationem, ad spectaculum, ad vindictam, ad terminandam litem, ad probandum crimen vel ad demonstrandam innocentiam: quia, in his circumstantiis, tenderetur ad malum finem, vel ad bonum per medium improprium et illegitimum.

2° Plures, inter quos *Lessius*, *Sanchez*, *Layman*, *La Croix*, etc., opinati sunt virum nobilem vel militarem acceptare posse duellum et quandoque illud offerre, si alias amisso honore in exercitu, privandus esset officio quo se et familiam suam sustentat; quia in eo casu non solus honor defenditur, sed bona ad vitam necessaria ipsaque vita. Verum ea opinio omnino rejicienda est, et quodlibet duellum, privata auctoritate susceptum, est peccatum mortale. Constat 1° ex Scriptura sacra, nempe mandato, *non occides*: his verbis, omnis occisio, sive sui, sive alterius, privata auctoritate intenta, prohibetur; eo ipso voluntarium hujusmodi occisionis periculum interdicitur:

porro qui duellum proponit vel acceptat, periculo sui vel alterius occisionis sese exponit : ergo ; 2^o ex concil. Trid., sess. 25, cap. 29 de Reform., ubi legitur : « Detestabilis » duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut » cruenta corporum morte animarum etiam perniciem » lucretur ; » 3^o ex multis summorum Pontificum constitutionibus, ut Nicolai I, Coelestini III, Innocentii II, Eugenii III, Alexandri III, Innocentii IV, Julii II, Leonis X, Clementis VII, Pii IV et demum Bened. XIV qui, in constitut. *Detestabilem*, 13 nov. 1752, constitutiones prædecessorum suorum renovans ac confirmans, sequentes damnavit propositiones : « Vir militaris, qui » nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria inaptus » haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat » privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac pro » meritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. — Excusari » possunt, etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud » provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, ut pote ab aliis impediendam. » 4^o Omnia jura civilia duellum olim sub gravissimis pœnis prohibebant. Detestando prævalente usu, nulla in duellantes per longum tempus apud nos pœna directa est : nunc autem in illos sævitur, ex Curia Cassationis decisione satis recenti, cui plures curiæ appellationis sapientissime adhæserunt. Optandum tamen esset ut in eo jurisprudentia adeo clara et inconcussa, v. g., lege positiva, fieret, ut omnia tribunalia eodem modo judicarent. 5^o Pluribus rationibus in Philosophia nostra morali relatis. Ergo.

Qui ergo ad duellum provocatur, semper prætestari debet se nunquam esse acceptaturum, quia tali medio honorem defendendi vel reparandi religione et ratione reprobato abhorret, sed inopinata lacessitum se defensurum ; et si quis reipsa eum statim aggrediatur, vim vi repellere poterit, juxta ea quæ diximus ubi *de injusto vitæ aggressore*.

3^o Duellantes et ad duellum positive concurrentes, ut patrini seu testes, ad illud provocantes vel exhortantes, excommunicationem majorem, in nostra diœcesi episcopo reservatam, incurrunt, et in loco conflictus decedentes sepultura carent ecclesiastica, ex capite concilii Trid. supra citati et ex constitutione Bened. XIV. Declarantur insuper a possessione honorum suorum proscripti et perpetuo infames, ut homicidæ : verum illæ pœnæ, ad forum civile respicientes, apud nos non fuerunt receptæ. Item Bened. XIV statuit ut, etiamsi in duello vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit, inde moriens, sepultura ecclesiastica careat, « sublata episcopis » et ordinariis locorum super hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate. » Nihilominus apud nos in eo casu ecclesiastice sepelitur, quia hæc pœnæ extensio sic non fuit recepta,

Denique præfatæ pœnæ non incurruntur nisi ob duellum stricte sumptum, scilicet convento loco, tempore et armis, non vero ob conflictum improvisum, quamvis repugnantibus ex eodem impetu rixæ ad idoneum locum perrexerint ; nec probabiliter si unus dixerit alteri : *Tecum pugnabo prima vice qua mihi obviaveris*, quia deest assignatio loci et temporis. Ita *S. Ligorius* et plures apud ipsum, l. 3.

ARTICULUS SEXTUS.

DE BELLO.

Bellum, sic dictum, ut plures volunt, quia velut bellua homines devorat, est *pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, reipublicæ defensionis aut vindicandæ causa* ; sicque differt a rixa, quæ ex pugna paucorum contra paucos, et a seditione, quæ est conflictus multitudinis contra multitudinem ejusdem politicæ societatis, et dicitur etiam bellum civile.

Bellum potest esse justum vel injustum : est justum si solius reipublicæ defendendæ aut vindicandæ causa sus-

cipiatur et debito modo exerceatur; est vero injustum si sola nocendi cupiditate, ulciscendi crudelitate, rebellandi feritate, dominandi libidine vel alio simili fiat animo. Decret., part. 2. causa 23, q. 1, cap. 4.

Iterum bellum justum potest esse defensivum vel offensivum. Defensivum, est illud quo vis vi repellitur; et offensivum, est illud quo vis infertur ad obtinendam justitiam vel injuriæ reparationem.

Certum est bellum justum defensivum esse licitum; unusquisque enim potest, etiam privata auctoritate, adversus injustum aggressorem, se cum illius vitæ periculo, defendere: ergo a fortiori societas completa injustam aggressionem per vim repellere potest.

Certum est, e contra, bellum injustum, sive offensivum, sive defensivum, graviter esse illicitum, et strictam inducere obligationem cuncta damna per illud illata reparandi.

Restat igitur ut quædam dicamus 1° de bello justo offensivo in se sumpto; 2° de modo bellum faciendi; 3° de obligationibus ducum exercitus; 4° de obligationibus militum; et 2° de clericis relative ad bellum.

De bello offensivo justo in se sumpto.

1° Manichæi censuerunt, referente *S. Aug.* contra Faustum, l. 22, cap. 74, bellum esse rem de se malam; *Lutherus* bella contra Christianos et præsertim papistas approbata esse volebat, non vero bella contra Turcas, quia nihil aliud esset quam reluctari Deo iniquitates nostras per eos visitanti; sectarii Anglicani et Americani dicti *Quakers* quodcumque bellum prohibendum esse docent.

2° Supremæ auctoritates a se invicem sunt independentes, et nullum agnoscunt superiorem in ordine temporali; si ergo quoddam inter eas nascatur dissidium, quod mutuis explicationibus et reciprocis concessionibus componi non possit, sola vi armorum definiri potest; unde bellum, licet semper lugendum, quandoque fit necessarium ad

obtinendum quod justum est. Idque pluribus firmatur rationibus, nempe 1° exemplo Abraham, Moysis, Josue et innumerorum aliorum; 2° *S. Joannes Baptista* interrogatus a militibus quid sibi faciendum esset ad consequendam salutem, non dicit eis abstinendum esse a militia, sed, e contra, supponit in ea perseverandum esse, dicens: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris*; 3° nullus Patrum imperatoribus Christianis bella gerentibus obstitit tanquam si rei ex natura sua illicitæ vacassent; 4° Romani pontifices et concilia principes pluries incitaverunt ad arma contra infideles sumenda. Ergo.

3° Ut bellum licite instituat quatuor requiruntur conditiones: 1° Suprema auctoritas; societas enim que agnoscunt superiorem, jus suum coram ipso prosequi possunt: non est ergo necessitas ad vim armorum recurrendi nisi in casu injustæ aggressionis, ad se defendendas, sicut facere possunt privati. 2° Justa causa; bellum enim, cum multa secum trahat damna, suscipi non potest nisi ex gravi causa, ut in jure canonico habetur et omnes fatentur, v. g., ad recuperandum jus debitum, ad protegendos subditos vel confederatos injuste vexatos, ad vindicandam injuriam principi, legatis ejus vel ipsi reipublicæ illatam, terrorem injiciendum, et aliam præcavendam injuriam, etc. *Justa autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias*, inquit *S. August.* Quæst. in Josue 10. 3° Recta intentio; scilicet, ut bonum reipublicæ promoveatur et malum ejus vitetur aut reparetur; non vero ex ambitione, vanitate, odio, personali vindicta, etc. *Notandum* tamen solum rectæ intentionis defectum, data aliunde sufficiente causa bellum indicendi, obligationem restituendi non producere. 4° Satisfactionis petitio et conveniens expectatio; cum enim bellum gravia secum necessario ducat incommoda, suscipi non potest absque gravi causa et necessitate: talis autem non existit necessitas si affulgeat spes debitam satisfactionem obtinendi: ergo hujusmodi satisfactio petenda et sufficienti tempore expectanda est, atque oblata acceptari debet. Unde jus gentium, cunctis gentibus

commune, prohibet ne bellum offensivum ante quamdam saltem declarationem suscipiatur. Petitio autem satisfactionis, cum minis expressis vel subauditis, est vera declaratio belli.

4^o Hinc principes bellum injuste moventes, tenentur, coram Deo et hominibus, mala inde provenientia quantum possunt reparare, quia justitiam graviter lædunt, v. g., debent domos eversas relevare, urbes dirutas reædificare, familias spoliatas redintegrare, dominia acquisita restituere, jumenta sibi præstita remittere, expensas ab adversariis factas refundere, etc., etc. Omni ergo diligentia curare debent ut certi sint de belli justitia et necessitate, antequam illud suscipiant inferendum.

5^o Attamen si, omnibus perpensis, existat dubium, et de possessione magni domini vel juris agatur, ea possessio armis defendi potest, quia, juxta axioma ubique receptum: *In dubio melior est conditio possidentis*. Eadem ratione injuria contra hanc possessionem exercita, si justa satisfactio convenienter petita degenetur, bello vindicari potest. Si tamen, etiam posita præsumptione dicto axioma expressa, remaneat dubium quod excuti nequeat, ambæ partes, ex æquo et bona fide convenire deberent: quod si una omnem abnueret transactionem, altera jus suum armis merito propugnaret. Ita communiter doctores, qui etiam advertunt bellum ex utraque parte fieri possibile, si nempe, in re dubia, utraque pars bona fide arbitretur se meliorem habere causam: in eo casu, quicumque sint belli eventus, neutra ad restitutionem tenetur, nisi postea clare videat se jus non habuisse; et tunc id tantum refundere deberet ex quo ditior facta fuisset.

De modo faciendi bellum.

1^o Positis conditionibus requisitis ut bellum juste suscipiatur, licitum est 1^o efficaciora adhibere media ad capiendos, vulnerandos et etiam occidendos hostes; finis enim belli obtineri non potest, nisi superentur et vincantur adversarii; superari autem et vinci non possunt, nisi per

flebilis hujusmodi media: nomine hostium veniunt ii omnes qui dimicant et dimicantes positive adjuvant jubendo, exhortando, aggeres faciendo, virgulta ferendo, etc.: sive viri, sive mulieres, sive laici, sive clerici aut religiosi, etc.; 2^o bona reipublicæ et etiam privatorum, quatenus reipublicæ utilia esse possunt, diripere, auferre, incendere, vastare et destruere, quantum opus erit, non quidem voluntate militum, sed jussu vel approbatione ducum, quando id necessarium vel graviter utile judicant; 3^o urbes et arces obsidere, tormenta omnis generis contra illas explodere, quælibet ædificia, etiam monasteria, ecclesias, incendere aut evertere, quamvis cum hostibus multi innocentes et extranei perire debeant; 4^o insidias parare, stragemata, in se non illicita nec ad illicitum inducentia, adhibere, ut hostes fallaciis decepti, in discrimina conjiciantur, et efficacius expugnentur, capiantur vel occidantur: hæc non reputantur mendacia, quia in bello usitata sunt, et culpa sua decipiuntur adversarii; 5^o transfugas et proditores ex parte adversa venientes suscipere, quamvis fugiendo peccent, eos interrogare, indicibus ab eis acceptis uti, etc.; hæc enim ubique recepta sunt ut licita, et sic concedunt auctores. Sed eos ad prodicionem vel desertionem excitare non liceret, quia esset sollicitatio ad rem per se malam, quod semper est peccatum. Est contra *Puffendorf*.

2^o Sed omnes simul fatentur justam servandam esse moderationem; duces etenim et milites legitimæ vindictæ sunt ministri, non vero latrones et sicarii: vitare igitur debent quidquid sapit crudelitatem et animum nocendi. Parcere igitur tenentur, quantum moraliter possunt, innocentibus, ut infantibus, pueris, mulieribus, senibus, peregrinis, rusticis, clericis, et denique iis omnibus qui ad bellum positive non concurrunt. Item hostes semel captos et nocere non valentes occidere nequeunt, nisi forte alicujus exterminatio judicetur necessaria in pœnam criminis vel in aliorum terrorem, ut docet *Collet*: nihil molestiæ facere possunt internuntiis, qui jure gentium ubique sunt inviolabiles, nec mittere spiculatores qui principem, du-

cem exercitus, vel alios primores regni occulte trucident; talis quippe agendi ratio semper habita est ut perfida, nisi in ipsomet prælio exerceatur. Judith vero excusatur, quia, Deo inspirante, caput Holofernis amputavit. Denique, obtenta victoria, æquum servandum est moderamen erga victos, justæ tantum exigendæ sunt conditiones; admittæ bona fide ex utraque parte tenendæ sunt.

3^o Quolibet die, tempore et loco præliari licet, positis conditionibus aliunde necessariis; idque constat 1^o ex Mathathæ et aliorum Judæorum proposito adversus hostes suos die sabbatorum pugnandi; 2^o exemplo principum Christianorum, qui diebus dominicis et festivis se defenderunt et sæpe prælia inceperunt, nihil contradicente Ecclesiæ; 3^o quia prælia non habentur ut opera servilia; 4^o quia lex positiva dies festos sanctificandi cum tanto non obligat incommodo. Ergo.

4^o Quærere solent theologi an princeps catholicus hæreticos aut infideles in adiutorium suum advocare, vel auxilium eis præbere possit, et respondent affirmative, quia 1^o Machabæi fœdus inierunt cum Romanis ut in bello sibi adjutores forent; 2^o societas cum hæreticis vel infidelibus non impedit quin bellum juste geratur. Si tamen princeps catholicus prævideret gravia oritura esse mala ex commercio cum hæreticis aut infidelibus, v. g., veræ fidei derisionem, templorum eversionem, sacrorum mysteriorum profanationem, subditorum apostasiam, a tali consortio abstinere deberet, nisi similia aut majora timeret mala ab hostibus inferenda.

5^o *Petitur* an liceat indicere bellum vicino principi, quia fit potentior et timendum est ne postea adversus vicinos prævaleat.

Respondetur negative; quia, nisi constet illum contra nos malum parare, actualem nobis non facit injuriam, et iniique agere non licet, ne alter deinceps iniquus fiat.

De obligationibus ducum exercitus.

1^o Duces aliique officiales exercitus scire debent quid-

quid ad sua officia pertinet, et discere, quantum possunt, quæ ignorant vel imperfecte sciunt.

2^o Inviolabilem servare debent fidelitatem erga principem, patriam et milites sibi subditos: militiam deserere non possunt, maxime tempore belli, nisi ex consensu principis; perjuri essent, et a Deo sicut ab hominibus damnerentur, si ad hostes confugerent, secretas cum illis *intelligentias* haberent, consilia principis vel ducum eis aperirent, media vincendi revelarent, etc.

3^o Mutua urbanitatis et charitatis officia sibi invicem præstare, disciplinam inter milites servare et bonum exemplum eis præbere debent. Pariter tenentur eos amare, spiritu fraternitatis simul et fortitudinis ducere, sedulo invigilare ut nihil eis, sive quoad animam sive quoad corpus, desit; singularia certamina, ebrietates, rixas, scortationes, vires corporis et animæ destruentes, inter eos prohibere, etc.

4^o Peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur si, sub prætextu quod insufficientis stipendium sibi solvatur, ficta militum nomina scribant, fingant ut præsentem qui sunt absentes, vel aliis fallacibus utantur mediis ut compensationem obtineant vel lucrum faciant. Item sibi retinere non possunt stipendium militibus defunctis debitum; ad illud quippe nullum habent jus, nec *a fortiori* ad eorum bona jam possessa, quæ ipsorum hæredibus tribuenda sunt.

5^o Milites sibi subditos convenientibus pœnis cohibere debent ab injustis rapinis, deprædationibus, stupris aliisque flagitiis; alioquin obligationem damna reparandi incurrunt, cum hæc ex justitia teneantur impedire quantum moraliter possunt.

6^o In militaribus expeditionibus, si sufficiens desit annonæ, quæ ad victum, vestitum, com meatum, cubandum, calefaciendum, etc., necessaria sunt, ab incolis locorum per quæ transeunt exigere possunt; sed cavere debent quantum possunt ne aliqui plus quam alii, servata proportione, graventur, quia in eo casu justitiam distributivam pro posse suo servare tenentur, *ut patet*.

7° Similiter contra justitiam peccant et ad restitutionem tenentur commissarii et annonæ curatores, si commeatum, victualia, vestes, lectos, etc., non subministrent in debita quantitate, et qualitate, etc. Hoc per se patet et ab omnibus admittitur.

De obligationibus militum.

1° Qui sorte ad militiam designantur, et legalem non habent exemptionem, servire tenentur; ad conservationem enim societatis necesse est ut sint milites; alii cives præ aliis militare non tenentur: oportebat igitur ut aliquis institueretur modus viros in numero sufficienti ad militiam obtinendi: statutum est apud nos ut omnes juvenes successive sortirentur quinam militiæ adscriberentur, vel non. Conditio igitur omnium sub hoc respectu est æqualis. Postea legitime eximuntur qui ad militiam non sunt idonei, qui familiæ suæ sunt omnino necessarij, qui bono generali societatis aliter operam daturi sunt, ut clerici, magistri scholarum, etc. Dici ergo non potest legem (gallice *de recrutement*) nunc exstantem esse injustam. Ergo.

2° Juvenes sorte designati, vel ut milites jam inscripti, vexilla patriæ fugere vel deserere nequeunt sine gravi peccato contra justitiam, tum erga principem, tum erga societatem: *hoc sequitur ex dictis.*

3° In dubio an princeps sit legitimus, an bellum sit justum, milites obedire tenentur; quia in dubio stat præsumptio pro superiore, et tranquillitas publica exigit ut gubernium semel constitutum contra anarchiam et extraneos hostes defendatur: unde tributa solvenda et copiæ militares ipsi tribuendæ sunt. Attamen extranei et qui ad arma non vocantur, probabilius nomen sponte dare non possent ad militandum in dubio, nisi, re excussa, saltem probabile efformarent judicium de justitia belli, quia necessitate obediendi non constringuntur sicut cives a principe vocati. Ita *Ferraris*, v° *Bell.*, art. 3, n. 25, dicens hanc sententiam esse communem.

4° Milites pabulatione uti possunt in terra hostili, imo

et in terra amica, si necessaria ipsis non præstentur, et ea propter inopiam emere non possint; sic et procedere, ex licentia expressa vel tacita principis aut ducis, ad vastationes, spoliationes, prædationes, carcerationes et cædes partis hostilis; secus, si duces hæc prohibeant, quia tunc propria auctoritate agerent, et obligationem damna reparandi contraherent. *Est sententia communis.*

5° Si capti fuerint etiam in bello justo ex parte capientium, licite fugere possunt, nisi specialis adsit promissio non fugiendi; sic enim jure gentium introductum esse videtur. In bello ex parte capientium injusto, fugere et bona hostium auferre possent, seclusa promissione juramento firmata permanendi. Ita *Molina*, *Layman*, *Ferraris*, addentes quod in bello injusto dominis insequentibus vi resistere possent, non vero in bello justo.

6° Spolia hostium, sive occisorum, sive vulneratorum, sive captorum, sive fugientium, seclusa contraria consuetudine vel jussione, pertinent ad milites, quia quæ ab hostibus capimus jure gentium nostra fiunt, inquit *Ferraris*. Cætera vero bona in bello justo capta pertinent ad principem victorem, vel potius ad rempublicam sibi commissam.

7° Milites, tuta conscientia, militare non possunt in bello evidenter injusto, quia malo cognito nunquam licet per actum positivum cooperari; potius omnia patienda et etiam mors subeunda est. At vero in bello justo vel non evidenter injusto, ducibus serio aliquid ad rem militarem spectans jubentibus, statim sub culpa ex genere suo mortali obedire tenentur, nec sine ipsorum consensu a castris vel exercitu recedere possunt, nec stationem sibi commissam deserere ob imminens periculum vitæ, etc.

De clericis relative ad bellum.

1° Omnibus clericis, sive sæcularibus, sive regularibus, sacris Ordinibus initiatis, jure ecclesiastico prohibitum est nomen militiæ dare et propria manu pugnare; hocque constat 1° can. 83 Apost. ubi legitur: « Episcopus, aut pres-

» byter, aut diaconus, qui militia vacaverit... deponatur; »
 2° ex variis Decreti canonibus, v. g., 1^a part. dist. 50, c. 6, part. 2, causa 20, q. 3, can. 3, etc. 3° ex *Bened. XIV*, Inst. 101, n. 23, dicente: « Unanimes theologi fatentur »
 » levem solummodo culpam admitti a clerico qui, ad mi-
 » nores Ordines exceptus, inter milites sponte cooptatur;
 » lethali vero culpa vacuum non esse clericum qui, sacris
 » Ordinibus ornatus, militiam amplectitur. » Ergo.

Diximus 1° *jure ecclesiastico*, et non *jure naturali*: unde si licentia summi Pontificis accederet, abesset culpa et irregularitatis poena.

Diximus 2° *propria manu*; quia clerici sacris Ordinibus initiati, ex legitima superiorum suorum missione, in bello justo assistere possunt, et sacramenta morientibus ministrare, milites ad fortiter dimicandum hortari, principes et duces incitare ad defensionem oppressorum, ad oppugnationem inimicorum Dei vel patriæ, etc. Unde si in *Decretal.*, l. 5, tit. 37, cap. 5, dicatur eos qui alios incitant ad pugnandum enormiter peccare, id intelligendum est, ut ait *Glossa*, de bello injusto.

2° Ex pluribus juris canonici capitibus, ut videre est apud *Ferraris*, v° *Bellum*, art. 4, n. 5, desumitur 1° clericos in sacris constitutos bellum justum suadere posse; 2° principes sæculares advocare contra infideles, hæreticos aliosque inimicos in defensionem Ecclesiæ; 3° eos qui jurisdictionem temporalem habent, ut nunc summus Pontifex, et olim plures episcopi et abbates, pro tuendis ecclesiarum suarum juribus, invocare posse principes sæculares, bellum justum indicere, exercitum conscribere, ducem belli præficere, arma ad pugnandum militibus præbere, etc., quamvis ipsi personaliter munere præfecti vel ducis fungi nequeant, ut expresse habetur in *Sexto*, l. 3, tit. 24, cap. 3.

3° Clerici et religiosi, qui bello justo intersunt, non dimicando, sed spiritualiter adjuvandi causa, spolia hostium non minus quam alii milites accipere ac retinere possunt, quia sunt pars exercitus et eadem subeunt pericula cum aliis: æquum est igitur ut eadem habeant commoda.

4° Licet propria manu decertare non valeant, possunt

tamen, in magna necessitate, mœnia vel portas civitatis custodire, imo et ad id in repentino bello tenentur, ut desumitur ex *Decretal.* l. 3, tit. 49, cap. 2.

5° Clerici et laici in bello justo propria manu occidentes vel mutilantes, fiunt irregulares, ut in *Tractatu de Irregularitate* dicimus: qui vero in bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, militant, irregularitatem ex delicto contrahunt, quamvis ipsi nec occiderint, nec mutilaverint, si vel unus adversariorum fuerit occisus aut mutilatus; quia omnes ad homicidium cooperantur, et eandem causam moralem constituunt. Sic ex pluribus juris canonici capitibus communiter docent auctores, paucis contradicentibus, inter quos annotator *Ferraris*, ad calcem art. 4.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE HOMICIDIO CASUALI.

Id dicitur casuale quod præter intentionem accidit. Fieri autem potest ut ita sit præter intentionem quod neque fuerit volitum in causa, et tunc nullo modo imputatur ad peccatum; vel ita ut ex causa voluntarie posita sequatur, et indirecte volitum judicatur, ac proinde, si malum sit, est peccatum mortale aut veniale, secundum principia a nobis in *Tractatu de Actibus humanis* exposita.

Duplici modo aliquis potest esse causa homicidii casualis seu indirecte voliti, nempe vacando rei licitæ, et vacando rei illicitæ.

1° Si causam mortis homini ponat, vacando rei licitæ, et debitam adhibendo diligentiam, non peccat, nec igitur homicidii est reus. Si, e contra, debitam diligentiam non adhibeat, plus minusve peccabit, juxta gradum negligentiae, modo mortaliter, modo venialiter: id ex solo prudentium judicio determinari potest.

2° Qui vacando rei illicitæ, sed mortis non inductivæ, et adhibita sufficienti diligentia, causam mortis homini ponit, non est reus homicidii inde per accidens sequentis, quia talis occisio nullo modo est voluntaria; non in se, ut

patet; neque in causa, cum prævideri non potuerit : unde clericus qui peccat venando, non habendus est ut homicida, si, adhibita convenienti diligentia, hominem pro fera occidat, quod accidit respectu *D. de Chantal*.

3^o Qui vacando rei illicitæ et periculosæ, v. g., qui medicinam et chirurgiam non didicit et operationem chirurgicam facit, ex qua mors sequitur, reus est homicidii, quia hujusmodi mors ipsi vere imputabilis est.

De irregularitate ex homicidio casuali proveniente judicandum est ex dictis tum supra, tum in Tractatu *de Irregularitate*; irregularitas enim ex delicto supponit peccatum grave : quotiescumque ergo homicidium casuale imputari non potest ad peccatum mortale, non existit irregularitas; in casu opposito existit.

CAPUT SEXTUM.

DE SEPTIMO ET DECIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Hæc duo præcepta jungimus, sicut alibi sextum et nomen simul junximus, quia utriusque idem est objectum. Sic exprimuntur in Exod. xx, 15 : *Non furtum facies*; et 17 : *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Quædam breviter dicemus, 1^o de furto in genere; 2^o de quantitate requisita ad constituendum peccatum mortale in materia furti; 3^o de furtis minutis; et 4^o de furtis domesticis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FURTO IN GENERE.

1^o Furtum venit a *furvo* seu nigro, quia clam, in obscuro ac plerumque nocte fieri solet, et definitur: *Acceptio rei alienæ injusta, seu domino rationabiliter invito.*

Stricte loquendo et stando principiis quæ hanc mate-

riam, justitiam scilicet, regunt, dominus posset esse rationabiliter invitus, si rem suam ex charitate solum debitam denegaret. Peccaret quidem contra charitatem, sed non contra justitiam. Sed, in praxi, sæpe, ut videre est apud auctores, dominus dicitur non rationabiliter invitus circa acceptionem rei suæ, et proinde aufertur ratio quæ furtum constituit, etiam quando res acceptata ex sola charitate debetur; quia fieri potest quod ex tali debito præsumenda sit voluntas Dei jus verum conferentis, et quia existimatur dominum officium suum, quodcumque sit, adimplere velle, et proinde non esse invitum circa acceptionem rei suæ.

Si rei ablatio fiat cum vi et injuria, dicitur rapina, a simplici furto specie distincta, quia præter ablationem rei alienæ, aliam includit malitiam, videlicet personalem injuriam.

2^o Dividitur in furtum simplex, in sacrilegium, in plagiatum, in peculiatum et abigeatum. *Furtum simplex* consistit in ipsa rei alienæ ablatione, sine ulla speciali circumstantia mala; *sacrilegium* est ablatio rei sacræ de sacro, vel rei sacræ de non sacro, ut habetur in Decret., part. 2, causa 17, q. 4, can. 21. Plures addunt, rei non sacræ de sacro. *Plagiatus* vel *plagium*, sic dictum quia vi Flaviæ legis, qui hujus criminis erant convicti, damnabantur ad plagas; in eo situm est quod quis dolose hominem liberum surripiat et vendat, vel servum alienum sibi detineat, vendat, commutet, etc. Cum servitus apud nos sit abrogata, crimen plagii vel plagiatus cessavit. *Peculiatum* est ablatio pecuniæ publicæ, seu ærarii communis. *Abigeatus*, a verbo *abigere*, est ovium, boum, equorum aliorumve pecorum ex pascuis aut armentis fraudulenta subtractio.

3^o Furtum est peccatum ex genere suo mortale, et constat, 1^o ex Scriptura sacra, Exod. xx, 15 : *Non furtum facies*; Zachar. v. 8 : *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, id est condemnabitur*; est evidenter sensus textus qui ab omnibus sic intelligitur. B. Paulus, I Cor. vi,